87056
20 19.

Q. D. F. F. E. J.

EX ANTIQVITATE RITUM SALUTANDI PER OSCULUM,

IN ALMA LEUCOREA

PRÆSIDE

CONRADO SAMUE-
LE SCHURZFLEISCHIO,
Hiſtoriarum Græcarumq; Literarum
P. P.

publicè diſqvirendum
proponit

RESPONDENS atq; AUCTOR
CHRISTIANUS LUDOVIC. SEILERUS,
Bern. March.
Philo-Theoſophiæ Cultor.

XV. Calend. Martii M. DC. XC.

WITTEMBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKII.

87056
WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

עמי עשו

MUlti eqvidem de Oſculis commentati ſunt, ex qvorum opulenta meſſe colligere qvædam ac ſeponere mihi integrum erit. Qvod cum ſuſcipio, recordor Servii ad Virg. Æneid. Lib. IV. v. 194. ex Afranio Nerarienſi; *qvod alius ſit amor, alius Cupido, ament Sapientes, cupiantq́ ceteri:* Qvæ verò animum meum non tangunt, qvi ab his cogitationibus remotiſſimus ſim, & conveniens Antiqvitatis argumentum diſqviſitioni meæ nunc qværam; Imprimis autem huic occaſionem dederunt frigida Græcorum Oſcula, qvæ ἄψυχα φιλήματα appellant. Hac ratione ad inqvirendum excitatus, inſtituto materiam ab Oſculis ſumendam putavi. Qva in re ſi fortaſſe hæſitaverim, venia mihi danda eſt, qvando mihi qvidem patrocinium afferet doctiſſimus Imperator Marcus τῶν εἰς ἑαυτὸν βιβλίων ί. §. δ΄. p 310. εἰ μὲν σφάλλεται διδάσκειν εὐμενῶς, καὶ τὸ παρορώμενον δεικνῦναι· εἰ δὲ ἀδυνατεῖς, σεαυτὸν αἰτιᾶσθαι. & βιβλ: θ. §. λγ. p. 296. τάχα δ᾽ οὐχ ἥμαρτεν. Hujus ſi ero compos, erit mihi qvod gratuler cum

 Tho-

Thoma Kempenſi de Imit. Chriſt. Βιβλ: γ. κεφ. λζ. ὅσῳ τάχιον τοῦτο ποιεῖς, τοσούτῳ βέλτιον ἕξεις, καὶ ὅσῳ πλέον καὶ εἰλικρινέστερον, τοσούτῳ μᾶλλον ἀρέσεις μοὶ, καὶ μεῖζον κερδήσεις. Itaqve ſanctisſimum Numen qvæſo, uti Conſilium laboremq; meum fortunet.

§. I.

ORdior à Salutandi more, qvem ignorare imperiti, disſimulare inertis eſſet. Nam ex omnibus Veterum exemplis conſtat, *Eum amicisſimum ſemper eſſe habitum, qvi primus erat inter ſalutantes.* Qvod cum multi alii prodiderunt, tum inprimis Poëtæ crebri rituum teſtes obſervarunt: Qvorſum ſpectat *Eilhartus Lubinus in Not. ſelect. ad Juven. ſatyr. III. v. 130. p. 779.* Prætereo, qvod *Cælius Rhodiginus Lib. 15. Lect. antiq. c. 9. de Pueris Megarenſibus* annotatum reliqvit: *Hunc corollis onuſtum abiisſe, qvi obviam aſcendentem ſuavius ſalutaſſet oſculatusq; eſſet.* His rebus factum eſt, ut certum definitumq; tempus, id eſt, matutinum ſalutationibus opportunisſimum judicarent. Præter ceteros hoc confirmat *Bilbilicus vates Martialis,* qvum *Epigr. CIX. Lib. I. ad Baſſi ſui* domum ſe recipiens, ſic fatur:

Maturandum eſt, ut mane Domi Te, Baſſe, ſalutem.

Epigr.: vero IIX. Lib. IV. horam addit, primam ſcilicet & ſecundam. Enimvero

Pri-

Prima ſalutantes atqve altera continet hora.
Præterea qvum obviam ſibi veniebant, faciemq́; perſpiciebant, nomine ſe invicem compellabant. Sic enim

- - - *Prætor Lictorem impellit, & ire*
Præcipitem jubet dudum vigilantibus Orbis,
Ne prior Albinam & Modiam Collega ſalutet. Juvenalis ſatyr. III. v.130. ſeqq. Si ignotior, aliqvantoq́; minoris fortunæ Vir erat, AVE dicebant ipſi, qvippe *tali*, ait *Seneca de Benefic. Lib. VI. c.34. pervenire usq; ad diſtinguendam libertatem licet, cujus vulgare & publicum verbum & promiſcuum ignotis AVE, non niſi ſuo Ordine emittitur.* At ſi aliqvo numero erat & in dignitate poſitus, nomenq́; ipſis non continuò ſuccurrebat, honorificè ipſum appellabant, blandioribusq́; verbis REGIS ac DOMINI titulo alloqvebantur, ut videre eſt *apud Martialem Lib. I. Epigr. CXIII.*

Cum Te non noſſem, DOMINUM REGEMq́; vocabam,
Cum bene Te novi, jam mihi Priſcus eris.

Et porro Epigr. XXCIV. Lib. IV. Lib. X. Epig. X. D. jun. Juvenal. Satyr. VIII. v.161. Atqve his in blanditiis adeo antiqvitas ſibi placebat, ut non verbis duntaxat contenta, ſed etiam ex priſco more dextram dextræ jungendam putaret: *Qvippe cum referat Varro, omnem antiqvorum honorem dextrarum conſtitisſe Virtute: plerumq́; tamen asſurgebant, caputq́; denudabant, nonnunqvam etiam oſculabantur.* Ut eruditè tradit *Alexander*

ab

ab Alexandro Tom.II.Genial.dier.Lib.V.c.24.p.322. *& in eum Mercerus Comment.* Abſentes vero per epiſtolam ſalutabant, ut *ex plurimis epiſtolis Theodoreti* longa ſerie enumerat *Baronius ad A.C. 28. & ibidem Spondanus in Epit. Num.38.* Hinc *apud Chryſoſtomum Epiſt. ad Corinth.II. cap.XIII. Hom.30.* εἶδες πῶς ἅπαντας συνάγει, καὶ τοὺς πόῤῥωθεν διεστῶτας τοῖς σώμασι, καὶ τοὺς πλησίον· Τοὺς μὲν διὰ τοῦ φιλήματος, τοὺς δὲ διὰ τῶν γραμμάτων.

§. II. Sed amplius in hoc campo ſpatium mihi deſignabo, longiusq; excurram. Ante vero qvam uberius me diffundam, acclamantem qvaſi audio *Galenum Lib.I.de Meth.medica c.5. Principium nimirum in omni diſputatione & re nomen eſſe.* Age ergo, largiar ipſi hoc & morem ultro geram! Ab oſculari igitur, *velut Spartianus in Hadriano habet. oſculare, ut oſculare genua, teſte Salmaſio in MSTO ad Eum notante Gerh. Joh. Voſſio de Vitiis Sermonis & Gloſſematis Latino barbaris Lib. IV. cap.15.* deſcendere Oſculum, & hoc ab ore ſuam ducere originem, nemo non videt. Idem vero illud ac parvum os eſt, forſan a forma externa ita nuncupatum, qvoniam in eo impertiendo Os velut in rugas contractum minui qvaſi & anguſtius reddi cernitur, ita ut Os notione deminuendi Oſculum appellari videatur. Hinc apud Scriptores veteres non peſſimos Oſculum pro ore ſumptum legimus

inter-

interdum ac obſervamus. Ita enim *ille Ægyptius apud Auſonium Epiſt. xxv. Sigalionis oſcula ſignare dicitur*. Et apud *Petronium p.172.Nares Paululum inflexæ & Oſculum, qvale Praxiteles habere Dianam credidit, idem ſunt.* Ubi is Nares inflexas & Oſculum felici temperamento conjungit, non intellectum cupiens modum aut actum qvendam Oris, ſed illam ipſam faciei partem, qvam Os nominamus. Vid. *VVorverii animadverſaria in eundem locum Petronii p. 470. & Gonſalm. in Petron. pag.292.*

§. III. Cum Oſculo paria facit Baſium; etſi *Servius diſtinguit, dum Oſculum religionis, baſium vero Voluptatis eſſe affirmat*. Addit *vetus Terentii interpres Donatus Svavium*, de qvo vid. *Schol. ad Terent. Ennuch. Act. III. Scen. II. oſcula tribuens officiis, baſia pudicis, ſuavia vero libidini atq́; amoribus*. In qvam ſententiam ivit *Janus Douſa, præcidan. ad Tibullum Eccl. II. Lib. I. p. 420.* Qvæ tamen poſtrema ad baſii ſuaviiq; diſcrimen attinentia non perinde diſtinguit *Juſtus Lipſius*, ſed generatim *utrumqve ad amatoria refert in Dial. de recta pronunciat. Ling. Lat. c. 16. p. m. 77.* Nixus, niſi fallor, autor[illegible]te veterum. Qvo referre licet *verſus ex Pindaro Thebano converſos Epit. Iliad. p. 432. apud Henricum Spondanum*, ubi ſic Helena.

Veniſti mea flamma Paris, ſuperatus ab armis
Conjugis antiqvi? -- -- --

Noſtraq́;

Noſtraq́; (me miſeram) timui ne Doricus enſis
Oſcula diſcuteret.

At vero *Philo diſſentit Lib. quis rerum divinarum Hæres, Oſculumq́; ab amore diſtinguit*, ut illud in mera ſalutatione acqvieſcat, hic vero ad arctiorem animorum conjunctionem mutuamq́; adeo benevolentiam dirigatur. Græcis communisſimo verbo φιλεῖν dicitur. *Vid. Plutarchus in* γαμικοῖς παραγγέλμασι *ad Politianum & Euridicam p.139. edit. Gulielm. Xylandri*, etiam *Chryſoſtomus ad Cor. II. c.3. Hom.7.* & plures. Similem in modum καταφιλεῖν *apud* eundem P*lutarchum* γυναικῶν ἀρεταί. Dicitur qvoqve κύειν. Sic enim *apud Homerum* Poë*tarum* P*rincipem Iliad.* ή. *p.142. Edit. Joh. Spond.* Dea cæſia Minerva invidens aditum Thetidi ad Herculem, hęc ad Junonem verba facit:

Νῦν δ' ἐμὲ μὲν στυγέει· Θέτιδος δ' ἐξήνυσε
βȣλάς
Ἡ οἱ γουνύτατ' ἔκυσε, καὶ ἔλλαβε χειρὶ γενείȣ
Λυσσομένη τιμῆσαι Ἀχιλλῆα πτολίπορθον

& τῆς ῥαψῳδίας ὀδυσσεία τ'. *p.281.* Exemplar illud humanæ prudentiæ *Ulyſſes* ad Parnaſſum tendens, comiter *ab Autolyco, ejus Uxore filiisq́; ibidem ſalutatur*, qvippe

Χερσίν τ' ἠσπάζοντο ἔπεσσί τε μειλιχίοισι
Μήτηρ δ' Ἀμφιθέη Μητρὸς περιφῦσ' ὀδυσῆι
Κῦσ' ἄρα μιν κεφαλήν, τε καὶ ἄμφω φάεα καλά.

&

& *apud Lucianum* περὶ ὀρχήσεως inveniuntur τὴν χεῖρα κύσαντες. A qvo κύω exortum haud dubiè verbum illud vulgare Teutonicum, qvod, ſi more Græcorum loqvimur, abjecto augmento κέκυσσαι, relinqvit κύσσαι, hinc terminatione Græca in Germanicam verſa, provenit κυσσen/ & ſuavioris ſoni cauſa Y pſilon retinetur. Hinc nomen Teutonicum ab hoc verbo deſcendens Latinorum pronunciationi congruit, qvando Y in U mutatur, propterea qvod Latini Y careant, commodè in ejus locum V ſubſtituentes, adeo ut non dicatur byxum, ſed buxum à πύξον, non mys, ſed mus, non tyrbare, ſed turbare a τυρβᾶν. Imo pollicem nobis premit *Terentianus Maurus apud* Priſcianum, inqviens:

Tertiam Romana lingua, qvam vocant Y, non habet,
Hujus in locum videtur V latina ſubdita,
Qvæ vicem nobis interim rependit vacantis Y;
Qvando communem Latino reddit & Græco ſonum.

Calculum addit *Victorinus de enunciat. Literarum & Adolphus Mekerchus de vet. & recta pronunc. ling. Græc. Commentarius c.32.p.m.94* Exinde haud difficulter liqvet, Germanos non ſolùm ſcriptionis modum a Romanis traditum habuiſſe, ut oſtendit ὁ πάνυ *Hermannus Conringius in Libro de Origine Juris German. cap. I.* Sed etiam *Pipini ævo eò* redactos *fuiſſe Cis-Rhenanos Germaniæ populos, ut Romanæ Linguæ indole uterentur.* vid. *Idem in Exercit. Academ.*

de Republ. Imper. Germ. Exercit. III. de Urbibus Germ. §. 53. p. 96.

§. IV. Seqvitur, ut exponam, qvinam fuerint, qvibus oſcula fixerit Antiqvitas, qvæ hoc ritu Oſculandi utebatur. Religioſè diligenterqve mos erat veteribus non tantùm vivos oſculari, verùm etiam res vitæ expertes. Hoc tamen diſcrimine ſervato, ut in ſummo dignitatis potentiæqve faſtigio poſitos cernui colerent, eorumqve pedes oſcularentur. *Sic ſiniſtrum Caji Cæſaris oſculatur Pompejus. Seneca de benefic. Lib. II. c. 12. & Caligula apud Suetonium porrexit ſiniſtrum pedem ad oſculandum auro gemmisqve inſignem Jac. Phil. Tomaſinus de Teſſeris Hoſpitalitatis cap. 21. p.* 150. Qvi autem ceteris dignitate præſtabant, hi plerumqve amicorum & propinqvorum Os faciemqve oſculo excipiebant. *Sic obtinebat apud Imperatores Rom. ex recenſione Joh. Curapolatæ Lib. I. Hiſt. cap. 16.* Seqvioribus verò temporibus *Pontifices Romani illum ſibi honorem vindicabant, obſervante Jac. Götten Obſerv. Lib. I. cap. 9. atqve Durando Lib. IV. ration. cap. 53. p. 202.* Hic qvidem de eo ritu ſic ſcribit, ut exiſtimet, eum *non vacare myſterio, qvod ſummus Pontifex ſeptem modis occipiat oſculum, videlicet in os, ad pectus, ad humerum, ad manus, ad brachia, ad genua, & ad pedes. Vid. Iſaac. Presbyter Lib. I. de mundi contemptu.* Quin & Oſculum ad omnia fere membra dirigebatur, etſi qvædam præcipuè honorem illum recipiebant. Nunc enim *caput Senatorum oſculari Cæſarem ait Ammianus Marcellinus Lib. XXIIX. & Ambroſius idem teſtatur in libro de Tobia cap. 7.* Nunc *Matronarum caput eodem ritu honorare Clericos*

refert

refert Hieronymus, ſed damnat Epiſt. 22. ad Euſtach. Modo *frontem, tanqvam Genio ſacram ſuaviari Romanis ſolemne erat, apud Plutarch. in Problem. conſ. Alexander ab Alexandro Lib. II. genial. dierum cap. 20.* Modo *Oculos* amplectebantur atqve oſculabantur, *ut Euryclea Telemachi nutrix apud Homerum Odyſſ. P.*

Κῦσε δέ μιν κεφαλὴν ϗ ἄμφω φάεα καλά.
Majeſtatem enim qvandam reſidere in oculis, mentemqve faciliùs perſpici credebant veteres, Plutarch. Lib. II c 37. Cyrus hoc ſigno, id eſt, *Oris Oſculo cognatos ab ſe dimiſit. Xnophon Lib. I. ejusdem pædiæ.* Qvam conſvetudinem etiamnum vigere apud Ruſſos, teſtis eſt *Adam: Olearius Itin. Perſic. Lib. III. c. 7. p. 205. edit. Schleſvv.* Ulyſſi Regem ſe declaranti bubulcus venerationem teſtatus, *humeros* ejus oſculari cæpit apud *Homerum Odyſſ. Φ.*

καὶ κύνεον ἀγαπαζόμενοι κεφαλήν τε ϗ ὤμους.
Interdum *brachiis* oſcula figebant, *apud Durandum l. c. & Jac. Herrenſchmitt in Oſculol. Theol. Philolog.* Aliqvando *manum* venientis oſculabantur, *apud Apollon. Rhodium* Lib. I. καί μιν δεξιτερῆς χειρὸς κύσεν. *Apulej: Mileſiar: IV. ex eoqve Dempſterus ad Roſinum.* Calculum ipſi addit *Fronto Ducæus p. 104 ad Hom. Chryſ.* Non ergò tantum ſervile munus fuit, oſculari manum, ut tradit *Arrianus Epict. cap. XIX.* qvando etiam ingenuos amicorum manum oſculatos eſſe accepi. Temperabo mihi, neqve aliorum ſcrinia audaciùs compilabo. Illud addam, oſcula etiam *pectori*, vel *genibus*

 im-

impreſſa fuiſſe, *apud Jacob. Phil. Tomaſinum Teſſer. hoſp. l. c.* Quid? quod *ægrotis Medici oſcula præbuerunt. Chryſoſt. Hom. 3. ad Antiochenos. Ad demortuos* etiam tranſiiſſe hunc ritum obſervat *Autor ineditus de Primatu Pontificis ab Aloyſio Novarino, Veronenſi adductus in Eclectis ſacris Lib. V. de Agno Paſchali cap. LXII §. 613.* Id vero eſt, qvod redarguit *Concilium Antiſidorenſe cap. 12. Rationem ſubjicit Gabriel Albaſpinæus Lib. I. Obſerv. de veteribus Eccleſiæ ritibus Obſ. XVII. § 6. p. 85. edit. Helmſtad.* Non attingo nunc ritum exoſculandi terram, templa, limina, veſtes, pallia, imo & *flagella apud Dionem in Caracalla de ejusdem aurigationibus.* Coronam inſuper nuptialem oſculari ſolebant; ut *Medea Jaſonem ſeqvens apud Poëtarum venuſtisſimum IIX. de arte Am. v. 6. ubi*

Ultima virgineis qvæ flens dedit oſcula vittis.

Amatores Amicarum oſtiis oſcula fixiſſe indicat *Lucretius Lib. IV. p. 144.* his:

At lacrymans excluſus Amator limina ſæpe
Floribus & ſertis operit, poſtesqve ſuperbos
Ungit amaracino, & floribus Miſer oſcula figit.

Ut taceam *catenas Martyrum* oſculo exceptas, qvo *Tertullianus Lib. 2. ad uxorem cap. 4. reſpicit,* ut palam eſt. De *lamellis* idem teſtatur *Joh. Baptiſta Caſalius, Lib. de profan: & ſacris ritibus P. III. c. 59. p. 297.* ac inde occaſionē de Oſculis ſcribendi ſumtam ſibi eſſe, affirmat. Tum verò neminem fugit, pictos calices religioſi oſculi cauſa olim fuiſſe asſervatos, ut legere eſt apud priſcos Scriptores, noviſſime *apud Frider. Spanhemium in Hiſtor. Imag. cap. 1. § 3. p. 5. ſeqq.* Simile hujus aliqvid refert *Joh.*

Schlei-

Schleidanus, ritusqve ejus ſuperſtitionem notat *in Comment. de Statu Reipl. & Religionis ſub Carolo V. ad annum 1549. Lib. XXI.*

§. V. Nunc ad id tranſibo, in qvo negotii cardo vertitur, totamqve hanc rem a prima Origine arceſſam. Multis qvidem modis excusſit *Plutarchus* ἐν ῥωμαϊκοῖς *p. 265.* Verum ἐπίκρισιν non ſubjunxit. Quærit qvidem Chæronenſis ille Scriptor: Διά τι τοὺς συγγενεῖς τῷ στόματι φελοῦσιν αἱ γυναῖκες; reſpondendo autem nō eximit ſcrupulum, ſed revera dubitationes movet: πότερον, inqvit, (ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσιν) ἀπειρημένον ἦν πίνειν οἶνον ταῖς γυναιξὶν, ὅπως οὖν αἱ πιοῦσαι μὴ λανθάνωσιν, ἀλλὰ ἐλέγχονται περιτυγχάνουσαι τοῖς οἰκείοις, ἐνομίσθη καταφιλεῖν; ἢ μᾶλλον ἐδόθη τοῦτο ταῖς γυναιξὶν, ὡς τιμὴν ἅμα καὶ δύναμιν αὐταῖς φέρον, εἰ φαίνοιντο πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἔχουσαι συγγενεῖς καὶ οἰκείοις; ἢ, μὴ νενομισμένου συγγενίδας γαμεῖν, ἄχρι φιλήματος ἡ φιλοφροσύνη προῆλθεν, καὶ τοῦτο μόνον ἀπελείφθη σύμβολον καὶ κοινώνημα τῆς συγγενείας; Hæc qvidem magnus Auctor recenſet Plutarchus, ſed veram rei cauſam non inqvirit. Tametſi enim inficias ire nolo, vini uſum a priſcis ſub pœnâ capitis fuiſſe interdictum; Nec Romanos tantum, *verùm etiam Indos hoc uſu probaſſe, ut mulier, qvæ temulentum Regem occideret, mu-*

 nere

nere donaretur & ſucceſſori nuberet. Qvo poſtea factum, *ut mulier etiam, ſi vinum bibiſſet, eodem* loco haberetur, *ac ſi in adulterio & gravi crimine deprehenſa fuisſet*, narrante *Dionyſio*; qvem vocant, *Halicarnaſſæo Lib. II. Polybioq́ Lib. VI.* Hinc invaluiſſe conſuetudinem, ut cognati affinesqve mulieribus oſculum ferrent, ſcilicet an vinum bibiſſent, exploraturi. qvapropter *propinqvos*, liceat *Pliniano* ore loqvi, *ex autoritate Catonis, Lib. XIV. c. 12. fœminis oſculum dare, ut ſcirent, an temetum olerent*. Et eſto, *eos exoſculatos, qvos honoribus proſeqvi vellent, ex Herodoto Lib. I. Zenodotoq́ in proverb* Νόμος ϗ χώρα. Mihi tamen addere par viſum eſt, permanaſſe hoc ad Romanos ex bello Trojano; qvippe apud qvos in uſu erat hic ſalutandi ritus, qvi oſculo fieri ſolebat. *Sic enim Meneſtes Hectoris femur enſe feriens, apud Daretem Phrygium* ſcriptorem mythicum, de *bello Trojano Lib. V.* ubi Hector & Ajax ſibi obviam facti, ſalutantes hoc modo ſe mutuo excipiunt, utpote

- - - - Illi arma faceſqve
Sponte relicturi, galeasq́ ad mutuo laxant
Oſcula, mutatisq́ petunt tentoria parmis.

Idem hoc exponit *Plutarchus*, ἐν γυναικῶν ἀρεταῖς, ubi Trojanæ Mulieres, Ilio exciſo, naves conſcendunt, qvæ per ventos ac tempeſtates Romam tandem appulerunt; Maritorũ verò ſeqventium iram pertimeſcentes, venientibus occurrebant, eosqve blandè amplexæ oſculabantur. Sic *Plutarchus*: πράξασαι δὲ ταῦτα, τοῖς ἀνδράσιν ἀπήντων

βοη-

βοηθȣ̃σι πρὸς τὴν θάλασσαν, ϗ φοβȣ́μεναι τὴν ὀργὴν, αἱ μὲν ἀνδρῶν, οἱ δὲ οἰκείων, ἀντιλαμβανόμεναι καὶ καταφιλȣ̃σαι λιπαρῶς ἐξεπάϋναν τῷ τρόπῳ τῆς φιλοφροσύνης· Διὸ ϗ γέγονε ϗ παραμένει τῶν ῥωμαίων γυναιξὶν ἔτι νῦν ἔθος ἀσπάζεσθαι μετὰ τȣ̃ καταφιλεῖν καὶ τὰ γένοες προσήκοντας αὐταῖς. Poſtea Romani vitæ victusq; rationem conſpicati morem hunc approbarunt, indicioq; explorandi vini, Oſcula receperunt. Qvibus deinde rebus evenit, *ut familiariter invicem loqventes ſalutandi cauſa Oſculum ſibi impertirentur, Alexander ab Alexandro Gen. Dier. Tom. I. Lib. II. c. 20. & Job. Curapolata l. c. Pliniusqve l. c. Hocqve genus honeſtius aliqvando erat Cic. Lib. 12. ad Att. Ep. I. Hinc Jus oſculorum apud Suetonium in Vita Tiberii Claud. Druſi* §. *26.* Tandem eò ritum hunc deductum, ut qvoqve in communi gaudio ſe mutuò exoſcularentur. Sic enim *Caprarius apud Theocritum* εἰδυλλ. γ. Amaryllidem alloqvitur:

Νύμφα πρὸς πτύξαί με τὸν αἰπόλον, ὥς τυ φυλάτω·
Ἔςί καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασι ἀδέα τέρψις.

Qvod verò oſculum *Mariano Lib. cap. 9. ROSEUM* propter *indolem* audit: Ubi Capella de Jove implicante ſe Danaë:

Sic admovetur Ore
ROSEUMqve circumactus
Rapit Oſculum puellæ
Gremioq; complicatus
Pretium tulit pudoris.

Cum hoc agerent, auribus qvandoqve prehenſis, baſia dare conſueverunt, ut gravis luculentusq;

aucto

auctor *Plutarchus* eſt *Lib. de audiendo ſub init: Tibullus qvoqve Lib. II. Eccl. VI.* ubi

- - - Natusq́ꝫ Parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.

Et Plautus in penula:

Sine Te prebendam auriculis, ſine dem ſuavium.

qvod Oſculum χύτρα Græcis eſt. Ita enim ſcriptum nobis *Julius Pollux in* χ reliqvit: εἰδέναι δὲ ȣ̓ φαῦλον ὅτι καὶ χύτρα φιλήματος, ἦν εἶδος ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη τῶν ἔτων ἐπιλαμβανόμενα.

§. VI. Proceſſit vero & in tantum auctus eſt hic oſculandi ritus, ut & *Hoſpites ſuos hoc oſculi honore afficerent*, ut poſt antiqvos refert *Tomaſinus in Teſſeris hoſpit. c. 21.* Imo peregrè abituros ultimum amoris pignus qvaſi oſculo obſignabant. *Sic Cyrus Major diſceſſurus, cognatos ſuos dato oſculo a ſe dimittebat lege Perſarum, auctore Xenophonte Lib. I. Pædiæ. Tiberius Nero relictis Romæ Uxore & Filio, confeſtim Oſtiam deſcendit, ne verbo qvidem proſeqventium reddito, paucos admodum in digreſſu oſculatus, apud Caj. Suetonium Tranqvillum in ejus vita §. 10.* Reverſi deinceps idem repetebant, exemplo *Cyaxaris Cyrum reducem ſic amplectentis. Xenophon Lib. V. pædiæ. Sueton. l. c.* expreſſa tamen cum conditione, ut oſculum daretur *inter æqvalis Dignitatis Viros. Strabo Lib. XV. ſub fin.* Sed qvi illis impares inferioresq́; erant, his *potentiorum*

Ge-

genas manu tangere licebat; *Alex. ab Alex. Lib. II. genial. dier. cap. 20.* Qvod cum *Tiberio ex freqventibus & qvotidianis occurſibus faſtidium crearet, lege lata tollendum curavit.* Referente id inter virtutes ipſius *Suetonio in Vita ejus* §. 34. Hoc tamen non prohibuit, qvò minùs oſculandi mos ſervaretur, ut, *qvem qvisq; honoribus proſeqvi geſtiebat, eidem oſculum figeret in manu*, prout eſt *apud Plutarchū in Catone uticenſ. Pliniumq́; Lib. XI. c. 45.* & *Lib. XXIIX. cap. 2.* Ubi *Romanorum Imperatores, conſuetudine a* Perſis *Indisq́; ad ſe traductâ, memorante Herodoto Lib. I. Plutarch. in Alcibiade. Valerio Maximo Lib. VII. c. 3* ambitioſi deinde ſibi ipſis adeò ſuffeni, *ut oſcula expoſcerent* qvemadmodum *Caligula apud Suetoniū in vita ejus* §. 22. *& Dionem in ejus vita.* Eadem *Diocletiani mens* erat *poſt Triumphum a Perſis relatum, ex recenſione Eutropii de Geſtis Romanorum.*

Qvibus rebus eò proceſſit, ut oſculum reciperetur in obſeqvii argumentum, & verbo κυνεῖν & προσκυνεῖν poſthac exprimeretur, græcisq́; non tantùm ſupplicandi actum indicaret, cum γυνὴ χαναναία *Matt. XV. 25.* deſcribitur προσκυνεῖν αὐτῷ, ſed etiam ipſam Supplicationem, vel ut loqvuntur, adorationem denotaret *Luc. IV. 8.* Hanc ſententiam *Homerus Odyſſ. P.* in oſculandi ſignificationem transfert, ubi Eurycleam grege ancillarum ſeptam, Telemacho e difficili itinere domum redeunti cupidum venerationis animum hac ceremonia ſignificantem pariter & confirmantem adducit, nam

Προσκύνεον ἀγαπαζόμεναι κεφαλήν τε καὶ ὤμους.

vid. Odyſſ. Φ. p. 302. Hincq́; haud immeritò ſuſpicatur *Lucianus* περὶ ὀρχήσεως *Tom. I. p. 904.* hunc adorare,

C qvi

qvi manum ad os referat, κἀγὼ μὲν, ait, ἦν ἐπὶ τῆς ἐλπίδος ταύτης· Καὶ τὴν χεῖρα τῷ στόματι προσαγογόντος οὐδὲν, ἀλλ' ἢ προσκυνεῖν ὑπελάμβανον. Manum enim ad os admovere in ejusmodi honoris cultu, ſic moris erat, pierinde ut *ipſe* tradit *Lib.* περὶ θυσιῶν· ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν θεὸν, φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξίαν. *Et Hieronymus adverſus Ruffinum Lib. I. Qvi adorant, ſolent oſculari manum. Totum corpus verò circumagebant in dextrum latus, ut eleganter admodum monet* πολυμαθέστατος *Salmaſius Exercit. Plinian: p. 936. in lævum Galli religioſius cenſebant Plin. Lib. XXVIII. c. 2.* Idq; genus LABRATUM OSCULUM dicebatur, qvoniam manus ad labra admovebatur, neminiq; mortalium tribuebatur, niſi Regibus, & qvos fortuna in ſplendidisſimi honoris faſtigio reponebat, inde φίλημα βασιλικὸν *Servato Gallæo ad L. Cælium Lactantium de falſa relig. lib. I. §. 4. p. 26.* dicitur. Tantò minus aberraſſe hîc a janua Juſtum Lipſium Electorum Lib. II. c. 6. p. 20. perſuadere mihi potui, qvando apertius intellexi, hæſitaſſe doctisſimum Belgam, dum ſeqventia tradit: *Adorantes manum prius porrexiſſe, deinde ad os referre ſolitos.* Nam diſſentit ab eo Magnus Salmaſius & in contrariam partem ſcribit: *Scilicet manum prius exoſculatos, poſtea eam verſus illum, qvem adorare intendebant, vertere conſuevisſe.* Enimverò utrumq; Veteribus uſu receptum fuiſſe, commonſtrat do-

ctis-

ctiſſimus *Tomaſinus lib.cit.c.8.p.47.* qvapropter *Cæcilius apud Minucium Felicem lib.8.p. 285. ſimulacrum Sirapidis videns manum primùm ori admovebat, deindè oſculum labiis imprimebat.* Et huncin modum DEOS, Deasq; pariter ac ſimulacra & fana oſculi ſigno culta fuiſſe commodum hîc recordor. Aliqvi dejecti in terram limina templorum oſculo venerabantur. Luculenter hæc *Tibullus* ante oculum ponit *Lib.I.Eccl.11.*

Non ego ſi merui, dubitem procumbere templis
Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Firmantur hæc teſtimonio *Arnobii Lib.I.adverſus gentes. Barnabæ Briſſonii Lib.I. de formul. Kippingii Lib.I.antiq.Rom.c.IX. & Job.Seldeni prolegom.in Syntagm.de Diis Syris p.26.* Qvidam verò fanum prætereuntes, qvibus adeundi copia non dabatur, manu ad os delatâ, junctoq; ſimul oſculo, honorem ſimulacris exhibebant, qvi baſiis jactatis manu venerari dicebantur, qvod *Apulejus, arcanæ ſapientiæ Sacerdos, notat in I. Apolog. p.292 & ex Minutio Felice, Plinio & aliis Druſius Obſerv. Lib.I. c.20.* Nam *nefas erat, ſi qvod fanum prætererit, nec adorandi gratiâ manum labiis admoverit.* Et hoc erat, qvod *Juvenali dicitur Satyr.IV. v.118. jactare baſia & Tacito lib.I.Hiſt.c.36.de Othone: jacere oſcula.*

§. VII. Labratum hoc oſculum apud Orientis populos invaluiſſe vero eſt ſimile, & rectè ſtatuit diligentisſimus *Th. J. ab Almeloveen*, atqve hoc argumento manum Joſephi a populo Ægyptio reverentiæ cauſa adoratam fuiſſe, putat *in Specim. Antiqv. P.I.p.94.* Imo & divinus Pſaltes comprobat, in oſculo

ineſſe divinum honorem, & pleno ore pronunciat נשקו־בר in תהלים ·ב· LXX. vertunt *καταφιλήσατε* eâ ſignificatione qvâ ſumitur *τὸ προσκυνεῖν*, proinde *Hieronymus* latinè expoſuit *adorate*. congruit Locus I. Reg. XIX. 18. Nam liqvidò apparet, adorationem intelligi, & *Lyra* etiam mecum facit, atqve ſic interpretatur: Ut *ipſi Filio, ſc. Chriſto, debitum homagium facerent*. Et hoc oſculum labratum eſt, qvod Hoſ. III. 2. deteſtantur Judæi, nec ſe ex eorum numero eſſe profitentur ac indicant, qvi Vitulo ſacrificium faciant ושקון *& oſculentur*. Magiſter Hebræorum Majmonides qvidem ſuum נשק hic retinet, ſed per עלום המגפף i. e. *qvi amplectitur Idolum* ad hunc ritum aliqvanto propiùs accedit, cui ſuppetias ferunt *Symmachus* & *Theodoretus* per *adorationem* explicantes, non obſtante interpretatione *Aqvilæ*, qvi vertit *καταφιλοῦντες*. Idem ſibi gratulatur *Hiobus* cap. XXXI. 27. inqviens: *Non ſe asſpexisſe Solem cum ſplendeſceret*, & qvæ deinceps ſeqvuntur ותשק ידי לפי, qvæ verba qvidem *Sebaſtianus Caſtalio*, qvi dictione Ciceronianâ divinioris Scripturæ ſententiam exprimere conatus eſt, reddidit: *Et tacitus Solem adorarem*; Forſan ex mente *Symmachi*, apud qvem legitur, *προσεκύνησεν ἡ χεῖρ μου*, *adoravit manus mea*. Nec latum unguem recedit *Hieronymus*, hunc ad modum exponens: *Et oſculatus ſum manum meam ore meo*. LXX. *εἰ δὲ χεῖρά μου ἐπιθεὶς ἐπὶ στόματί μου ἐφίλησα.*

σα. Qvorum veſtigia premunt *Joh. Piſcator, D. Lutherus & Salomon Glasſius* Philol. ſacr. l. IV. Tr. II. Obſ. XXII. Præter hæc oſcula labrata Judæi ſimiliter atqve alii populi ſalutationes ſuas per oſcula retinuerunt, qvæ breviter complexus eſt *Aug. Pfeiffer in Antiq. Ebraic. ſelectis cap. VI. p. 51. ſeqq.* Potisſima tamen oſcula erant *MAGNIFICENTIÆ; COMPITORVM*, qvippe qvo oſculi genere uſus eſt Judas Iſcariotes, ita ut vel hoc nomine exclamare mihi fas ſit *cum Auguſtino ſerm. 117. de Tempore. O ſignum ſacrilegum, ubi oſculo incipit ſignum, per pacis indicium rumpitur pacis ſacramentum!* Accedebant his abeuntium & valedicentium oſcula. Qvæ ſingula *Bereſchit Rabba ſect. 70. his verbis comprehendit:*

נשיקה של· כל נשיקה לתפלות בר מן תלת גדולה.
נשיקה של פרקים· נשיקה של גדולה ויקח שמואל את
פך השמן ויצק על ראש וישקהו· נשיקה של פרישות

ותשק ערפה להמותה ורות דבקה בה· ר׳ תנחומא אמר אף
נשיקה של קריבות שנא וישק יעקב לרחל שהיה קרום:

Metaphraſtes ſic transfert: *Omnis oſculatio eſt ad fatuitatem, exceptis tribus, qvæ ſunt: Oſculum Magnificentiæ & dignitatis, ut: Et accepit Samuel lenticulam olei & effudit ſuper caput ejus, & oſculatus eſt* .I. Sam. X. I. *Oſculum compitorum i. e. occurſus, ut: Et ivit & occurrit ipſi in monte DEI, & oſculatus eſt eum* Ex. IV. 27. *Oſculum ſeparationis & diſceſſus, ut: Et oſculata eſt Orpa ſocrum ſuum & Ruth adhærebat ei.* Alia oſculorum genera Iſraëlitis freqventisſima collegit & recenſuit *Johannes Buxtorffius in Lex. Chald. Thalmud. & Rabb. b. v.* נשק. Hunc priſcum Orientalibus morem imprimisq; adorantium ſervare etiamnum

num Perſas, teſtis eſt oculatus *Adam. Olearius Itin. Perſic. Lib. IV. c. 42. Conf. Franzius Hiſt. animal. c. 14.* de Turcis qvoqve teſtatur *Steph. Gerlachius in literis ad Martin. Cruſium exaratis.*

§. VIII. Nec vero non operæ pretium me facturum eſſe confido, ſi referre inſtituam oſcula Chriſtianorum primæ ætatis, qvippe qvæ Signa qvædam & teſſeræ mutuæ charitatis erant. *Ambroſius Lib. X. Epiſt. 84.* Et *qvid loqvar,* inqvit *idem Lib. 6. Exam. cap. 9, de oſculo oris, qvod pietatis & charitatis eſt ſignum?* vid. porro *Lib. 2. de pœnitent. c. 8.* Διὰ γὰρ τοῦτο, ex ore *Chryſoſtomi Epiſt. ad Corint. II. c. 13. Hom. 30.* hæc ſunt, τὸ φίλημα δέδοται, ἵνα ἐμπύρευμα τῆς ἀγάπης γένηται, ἵνα ἀνακάιῃ τὴν διάθεσιν, ἵνα οὕτως ἀλλήλοις φιλῶμεν, ὡς ἀδελφοὶ, ὡς παῖδις πατέρας, ὡς πατέρες παῖδας, μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ πλέιονα· ἐκεῖνα μὲν γὰρ φύσεως, ταῦτα δὲ χάριτος, οὕτως αἱ ψηχαὶ ἀλλήλαις συνδέονται. Inq; hoc charitatis ſignum ſuos recens ſacro fonte tinctos deoſculabantur *Cyprian. Epiſt. 59. ad fin.* Qvo ritu haud obſcurè indicabant, initiatum ſive baptizatum pacem iniiſſe cum Chriſto cœtuq; ſanctorum *Ambroſius lib. 2. de pœnitent. c. 3. Ep. 33. & lib. 2. adverſus Gentes.* Illud oſculum exinde SANCTUM appellari conſuevit qvoniam non tam in Labris qvam in præcordiis natum conceptumq; erat, μὴ ὕπουλον, μὴ δολερὸν, καθάπερ ὁ ἰούδας τὸν χριςὸν ἐφίλησε, reſpondet ſuo φιλήματι ἁγίῳ *Chryſoſtomus l. c.* Oſculum hoc

ſan-

ſanctum ſtatu Eccleſiæ turbato rebusq; afflictis magno ſæpe ipſis ſolatio erat. Hinc *Victor atqve Soſthenes*, cum in extremo Scenæ Diocletianæ diſcrimine poſiti eſſent, *oſculo ſancto ſe ſalutabant. Martyrolog. IV. Idus Septembr.* Tum fonte ſacro aſperſos eum in locum provehebant, in qvem precandi cauſa convenire ſolebant, ut clare confirmat *Juſtinus Martyr Orat. ad Antoninum pium Imperatorem, oculatus & fide dignus in hanc rem teſtis.* Chriſtiani poſtea templum ingredientes ſalutando oſculum, ſine vitio & æmulatione dignitatis, a ſe invicem petebant. Qvem locum reſpexit ac in memoriam revocavit *Ambroſius in Lib. de Virg. corrupta cap. 6. Etenim in Eccleſia conveniebant, ad eamq; certatim religioſæ Matronæ & nobiles currebant, illius oſcula petentes, qvæ ſanctiores & meliores ipsâ erant.* Precationes deinde inſtituebant nunc pro benefactoribus & adjutoribus pauperum, nunc pro novis & initiatis Chriſtianis, nunc pro Antiſtite Sacrorum, & Presbyteris, nunc pro ægrotis, & terra mariq; commeantibus, iisdemq; religionis vinculo ſibi conjunctis. His rite peractis, Diaconus prodibat, omnesq; ad mutuam charitatem hâc formulâ exhortabatur: SALUTATE VOS OSCULO SANCTO. *Huc conf. diligens rerum antiqvarum ſcrutator Joach. Hildebrand Enchirid. de priſcæ Eccleſiæ ſacris publi-*

blicis. Votis precibusq; DEO perſolutis, oſculo ſe invicem accipiebant fratres, qvod oſculum *ſanctum* appellavit *Doctor gentilium Paulus, ut antiqviſſimus teſtis eſt Origines in Epiſtola ad Rom. cap. XVI. 16.* qvapropter *Tertullianus cap. XIV. de Oratione, oſculum Orationis ſignaculum* nominare mavult. Id qvod gnaviter excuſſum eſt Induſtriâ *Dni. Præſidis, Doctoris mei ævum colendi in Collegio Antiqvitatum primitivæ Eccleſiæ MSCTO cap. I. §. 7. & commentatione ibidem habita.* His confectis Catechumeni, Auditoresq; ceteri removebantur; Mox Epiſcopus cœtum piorum hoc mopo ſalutabat: PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCUM, ut refert *VValafridus, ab oculorum vitio ſtrabo nuncupatus, Augiæ Abbas Sec. IX. Lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 22.* Signo hoc pacis dato in pacis amorisq; characterem pacis oſculum deferebant inter ſe: *ſicut videre licet ex Auguſtini ſerm. 83. de diverſ.* Neqve verò a me impetrare poſſum, ut fidem habeam *Joan. Baptiſtæ Caſalio,* oſculum pacis a Lamellis, qvas ipſe eam in rem accerſit, effigie Chriſti Diſcipulis ſe conſpiciendum exhibentis, cum Symbolo: Ειρήνη! adornatis, deducens, qvippe qvæ fidelibus inter ſacras epulas deoſculandæ olim porrectæ fuerint, *Lib. de profanis & ſacris ritibus P. III. cap. 59. p. 297.* Cum tamen in antiqvitatum monumentis altum de his ſilen-

ſilentium ſit. Ut vel argumento *Concilii Laodiceni anno 364. habiti* confirmare mihi expeditum eſt, qvod ne apice qvidem lamellas tangit, ſed *canone XIX. Epiſcopo Epiſcopum, Presbyteris laicos, & mox inter ſe pacis oſculum tribuiſſe*, commonſtrat. Nec eſt, qvod confugere qveat *ad Acta Eccleſiæ Mediolanenſis*, qvippe qvæ in hoc ulterioris antiqvitatis negotio nihil probant, & multò recentioris ſunt ætatis. *Lib. III. Tit. 24. cap. 32.* Ab hoc pacis oſculo jam nunc initium fiebat diſtribuendæ ſacræ cænæ, ubi Diaconus ſemel iterumq́; monebat: *Alii alios amplectimini, & oſculemur Nos invicem. Cyrillus Hieroſolymitanus in catecheſi myſtogogica.* Sanctisſimi planeq; tremendi hujus myſterii participes facti, oculos ad cælum tollebant, preces fundebant, oſculoq́; repetito ſe excipiebant. *Polybiſtore noſtro Colleg. MSCTO cit. cap. XII. §. 10. 11 accurate ſatis notante.* Et *pacis oſcula danda eſſe poſt confecta myſteria, vult Innocentius I. Epiſt. decret. ad Decentium cap. I. & Auguſtinus Lib. 2. contra literas Petiliani cap. 32.* ubi evolvi poterunt *Qvenſtedii antiqvitates biblicæ & eccleſiaſticæ P. II. cap. IV. Sect. III. num. 14. Henrici Rixneri Lib. de veterum Chriſtianorum circa S. Evchariſtiam ritibus c. X. p. 142.* His talibus indicare voluerunt, ut, qvemadmodum unus panis eſt, ſic & unam mentem animumq́; habeant Chriſtiani, & qvò paci, concordiæ, arctisſimæq́; conjunctioni ſtudeant ſemper, & mutuo amore coaleſcant, omninò admonebantur hoc oſculo pacis.

 Ex

Ex *Ambroſio*, *Tertulliano & aliis Baronius ad A.C.* 45. & Spond. num. 8. Καὶ γὰρ οὐχ ὡς ἔτυχε τὸ ϛόμα ἡμῶν, inqvit *Chryſoſtomus Ep.2.Cor.c.3.Hom.* 30. τετίμηται δεχόμενον τὸ σῶμα τὸ δεσποτικόν. Διὰ τοῦτο μάλιϛα ἐνταῦθα φιλοῦμεν.

§.IX. Neqve tamen hæc oſcula erant promiſcua, ſed ratio ſexus habita eſt, ut Vir virum, fœmina fœminam oſculo pio & religioſo ſalutaret. Vid. *perantiqvus ſcriptor conſtitutionum Apoſtolicarum.* Hinc ſeorſim locati, & in Hebræorum cœtu tabulatis diſcreti ſunt, ut præter *Joſephum, diligentiſſimum rerum Judaicarum ſcriptorem Lib.VI. de Bello Judaic. lib.6. cap.6.* ſolidè docet *D. Daſſovius in Collegio MSCTO antiqvitatum Ebraicarum.* Similem in modum Chriſtiani veteres in ſuis cœtibus mares fœminasq; disjungere ſolebant, ut conſtat autoritate Patrum, inter qvos extat *Ambroſius Lib. de Virg. corrupta c.6.* Haud ſeciùs tempora diſtinguebant, neqve in jejuniis, iisq; integris oſculo ſe excipiebant. *Albaſpinæ9 Obſerv. lib.1. obſ. XVII. p.82.* Maximè autem ab hæreticis, ſchiſmaticis & a lapſis criminumq; reis abhorrebant, nec minus ab eorum ſocietate, & fraterna conjunctione, qvam ab oſculo ipſorum abſtinebant, imo nec pœnitentes & catechumenos hoc ſalutationis officio dignabantur. *Albaſpin. lib. cit. Obſ. XIX.* Alioqvin oſcula paſſim dabant in congreſſibus ſacrorum cauſa in-

ſtitu-

ſtitutis, in domiciliis DEO dicatis, publicè privatimq; in ædibus, villisq;, præſertim ab itinere longo difficiliq; reverſis hoc ſignum pacis impertiebantur. Audiamus, qvæ loqvitur *Chryſoſtomus Epiſt. ad 2. Cor.* ſæpius laudata loc. cit. Διὰ τοῦτο καὶ ἐξ ἀποδημίας ἐπανιόντες, ἀλλήλοις φιλοῦμεν τῶν ψηχῶν ἐπιγινομένων, εἰς τὴν πρὸς ἀλλήλοις σινουσίαν. Τοῦτο γὰρ μάλιστά ἐστι τὸ μέλος τὸ τῆς ψυχῆς κηρύττον ἡμῖν. Tandem qvoqve demortuos & piè defunctos, tanqvam in aliud ſempiternumq; ævum abeuntes hoc oſculo comitabantur, ubi *ex Dionyſio Areopagita cap. 7. Eccleſiaſt. Hierarchiæ, in templo Pontifex preces recitat, poſtea defunctum oſculo ſalutat, qvem imitantur reliqvi præſentes, eidemq; dehinc oleum infundit, atqve ſic efferebatur.* Moribus deinde in pejus ruentibus expirabat oſculorum ſanctitas, ut gravis locuplesq; teſtis eſt *Clemens Alexandriuus*, qvi *oſcula inceſta, veneno plena, & cum ſimulatione pietatis conjuncta eſſe* affirmat *III. Pædagog. c. 11.* Cumq; hæc vitia velut contagione qvadam animos inficerent, & *virgines inter amplexus & oſcula concaleſcerent, frontem indurarent, pudoremq; tererent, apud Tertullianum Tract. de Virgine velanda cap. 14. ſub fin.* eò res tandem redacta eſt, ut oſcula prohiberentur, antiqvarentur & e Chriſtianorum cœtu prorſus eliminarentur. Illud autem ex alia diſciplina promanavit, qvod *Beguardi & Beguinæ in oſculis per ſe ineſſe fœditatem, atqve adeò non eſſe a crimine immunia putarunt, alia autem honeſtate indigna admiſerunt, ut ſcribit Cabasſutius Notit. Eccleſ. p. 490.*

§. 10.

§. X. Ceterùm oſcula hodiernis etiam temporibus, apud Græcos Chriſtianos ſervari, tradunt periti recentioris Græciæ ſcriptores, inter hos *Chriſtophorus Anglus*, qvi hanc in rem ſeqventia commemoravit, *περὶ τῆς καταστάσεως τῶν σήμερον, εὑρισκομένων ἑλλήνων p.384.* qvando rem ita explanat: *ὁ δὲ μέλλων μεταλαβεῖν ἐν τῇ στυγμῇ, ἐν ᾗ μέλλει μεταλαβεῖν, λέγει πρὸς τὸν χριστόν· Οὐ φίλημά σοι δώσω καθάπερ ὁ ἰούδας, ἀλλ᾽ ὡς ὁ λῃστὴς ὁμολογῶ σοι. κ. τ. λ.* & ibidem interpres *Georgius Felavius §.338. p.p 370. ſeq.* De Gallorum, Italorum, Venetorumq; oſculis agit *Tomaſinus l. c. p. 152.* Britannorum oſcula venuſtè exprimit *Erasmus Roterod. Lib. V. Epiſt. X.* ſcribens *ad Fauſtum Androlinum*, & *ibi ſuaviorum plena eſſe omnia*, vivo & veraci teſtimonio ſuo confirmans. De Germanorum moribus res ipſa loqvitur.

§. XI. Ad extremum perpauca ſubjungam de ſupremis oſculis, qvæ ſumma charitas expreſſit oſculantibus, qvorum principium cauſamq; aperit vetus Poëta Tragicus *Lycophron in Alexandra p. 17. edit. Canteri.* Amiciſſimꝰ enim qvisqve aderat amicis neceſſariisq; morientibus, eisqve dividere qvaſi animam, & præ nimio amore etiam ſupremos jamjam expirantium halitus haurire cupiebat. Atqvi hæc frigida & inanima oſcula dicebantur. In hanc ſententiam *Maro Æneid. IV. 884. 885.*

- *extremus ſi qvis ſuper halitus errat*

Ore legam. Cum qvo jungantur Ovidius, Statius & plures tam Græci qvam Latini ſcriptores, qvorum teſtimonia adferre ſuperſedeo, finemq; diſqviſitioni meæ impono.